

HELMANTICA

REVISTA DE HUMANIDADES CLÁSICAS
DE LA UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA

AÑO XVI

ENERO-ABRIL 1965

NUM. 49

Frater Sebastianus Toscanus, O. S. A.

Prima, ut opinor, Fr. Sebastiani Toscani mentio in libris qui quidem typico prelo sunt excusi, anno reperitur 1569.

Quo quidem anno Fr. Hieronymus Román Salmanticae suum foras dedit librum cui titulus *Chronica de la Orden de los Ermitaños del glorioso Padre Sancto Augustin* ¹ inditus est, ubi egregium illum lusitanum virum hisce effert laudibus: «Es conocido por hombre muy docto (y sin duda lo es) el Padre Maestro fray Sebastian Toscano, hijo de la casa de Salamanca (aunque portugues); es gran letrado y excelentissimo predicador» ². Eodem quoque anno, Doctor Gundisalvus de Illescas suum opus quod *Historia Pontifical y Catholica* ³ inscribitur in lucem Salmanticae

1. *Chronica de la Orden de los Ermitaños del glorioso Padre Sancto Augustin, dividida en doze centurias; compuesta por fray Hieronimo Roman, frayle profeso de la mesma Orden*. Dirigida al muy illustre e reverendissimo señor Don fray Joan de Muñatones, Obispo de Segorve, religioso de la dicha Orden. Van juntamente las vidas de los Summos Pontifices, con los titulos y creaciones de Cardenales que cada uno celebros, y donde estan sepultados, y las sedevacantes, con todos los Concilios Generales y Provinciales que se hallan hasta nuestros tiempos. Con privilegio. En Salamanca, en casa de Joan Baptista de Terra Nova. MDLXIX.

2. fl. 136v.

3. *Historia Pontifical y Catholica: en la qual se contienen las vidas y hechos notables de todos los Summos Pontifices Romanos. Con el discurso*

edidit, in quo augustinianum illum eremitam hisce afficit laudibus: «No dexare de hazer memoria del doctissimo y gran orador fray Sebastian Toscano, predicador (que oy es) en Portugal, cuya elocuencia yo estimo en tanto, que no se, si ninguno de los de nuestro tiempo le haze ventaja. Su loable conversacion corresponde bien al herviente spiritu con que predica la palabra de Dios» 4.

Erat eo tempore Sebastianus Toscanus annos natus quinquaginta quattuor.

Ut autem e vivis excessit anno 1583, coeperunt Annalium scriptores, qua ob inscientiam et imperitiam, qua ob novorum documentorum egestatem, res suo Marte effingere atque addere, ea nunc repetendo quae ab aliis tradebantur auctoribus, nova nunc alia e penu ingenii sui depromendo; neque quae sibi verisimilia viderentur pro certo ponere cunctabantur. Doleo igitur quod in cassum hosce adiverim scriptores, quorum ceteroquin nonnullos haud facile fuit habere in procinctu.

Iam vero, saeculo XVII serio conantur scriptores rerum gestarum narrationibus diligentius consulere; quo profecto fit ut eremitae nostri vita moresque satis describantur accurate. Re sane vera annis 1644 et 1652 duo opera eaque praeclara in lucem Matrili prodire, quibus Sancti Augustini Eremitarum historia insigniter illustratur: *Alphabetum Augustinianum et Historia del*

de la Predicacion Apostolica. Y el estado de la Iglesia Christiana Militante: desde que Christo Nuestro Señor nascio, hasta nuestros tiempos. Compuesta y ordenada por el Doctor Gonzalo de Illescas (...). En Salamanca, en casa de Domingo de Portonariis, Impressor de la Real Catholica Magestad. MDLXIX. Con privilegio.

Segunda Parte de la Historia Pontifical y Catholica: en la qual se prosiguen las vidas y hechos de Clemente Quinto y de los demas Pontifices sus successores hasta Pio Quinto. Contiene se ansi mismo la recapitulacion de las cosas y Reyes de España. Con una mas particular relacion de las esclarecidas hazañas de los Reyes Catholicos, y del invictissimo Cesar Carlos Quinto Maximo, y del Serenissimo y muy Catholico Rey Don Philippe II nuestro Señor. Compuesta y ordenada por el Doctor Gonzalo de Illescas (...). En Salamanca, en casa de Domingo de Portonariis, Impressor de la Real Catholica Magestad. MDLXIX. Con privilegio.

4. Parte 1.ª, fl. 327.

convento de San Agustín de Salamanca ⁵, auctore P. Thoma Herrera. Qui Romae Curiae Generalis Tabularium inspexerat idemque haud parvas excerptiones ex Generalium tabulis transcripsit, quae inde tamquam egregia atque notissima Patris Herrera *Excerpta* celebrata sunt.

In promptu insuper habuit opus quod *Libro de profesiones* nuncupabatur et ad Salmanticense coenobium pertinebat; qui quidem libellus etiam tunc temporis asservabatur eiusque ope Sebastiani Toscani parentes cognovimus, Thomam Gundisalvi et Mariam Toscanam.

Neque haec omnia; multa praeterea magni momenti facta nobis suppeditavit Herrera: votorum tempus assignavit, Sebastianum Isabellae Imperatricis concionatorem fuisse confutavit, de eius exsilio edocuit, ac denique eum commentarios in Ionam ad Generalem misisse, aliaque hoc genus in apricum protulit ⁶.

Hac igitur de causa Annales qui posthac edi coepti sunt, magis adamussim res narrant atque confirmant: quippe omnes, Elssius, Torelli, Ossinger, Vidal ad bene documentis instructum eundemque nunquam non tutum Herrera, tamquam ad fontem accurrunt, seu ut hispanica sententia sonat, omnes ex illo «bien documentado y siempre seguro Herrera» ebibunt.

In hoc autem ordine criticae evolutionis in melius, tertium occupat locum Gregorius Santiago Vela. Eximius iste rerum gestarum scriptor atque bibliographus Ordinis Augustiniani Sebastianum Toscanum in suum addidit libellum cui nomen datum est *Ensayo de una biblioteca iberoamericana de la Orden de San Agustín* ⁷; et quoniam Herrera suis operibus non omnia

5. THOMAS HERRERA, O. S. A., *Alphabetum Augustinianum in quo praeclara Eremitici Ordinis germina, virorumque et feminarum de domicilia recensentur*. 2 tt. Madrid (Gregorio Rodríguez), 1644. *Historia del convento de San Agustín de Salamanca*. Madrid (Gregorio Rodríguez), 1652.

6. Cf. *Alphabetum*, II, pp. 392-394; *Historia*, pp. 263 et 367-369.

7. Vol. I; vol. II; vol. III; vol. V; vol. VI (Madrid, 1913-5-7-20-22). Vol. VII; vol. VIII (El Escorial, 1925-31).

Volumen IV nondum editum est (quamvis res, morte eius auctoris oborta, quasi ad finem venerit). Idcirco bio-bibliographiae quae litteris J ac L incipiunt desiderantur.

adhibuerat quae e tabulis generaliciis transumpserat, ex Excerptorum manuscripto (quod Matriti in Bibliotheca Nationali asseratur) multa eaque prima nactus est manu ⁸.

Haud sane dubie Santiago Vela opus laude dignum effecit idemque haud paucas Fr. Sebastiani Toscani res gestas plane nobis incognitas patefecit. Attamen verum non est quod ipse asserit unum fide dignissimum atque tutissimum informationis fontem ad eius vitae narrationem exstare *Excerpta* ⁹. Primus namque fons Curiae Generalis prostat Tabularium, ex quo illae collectae sunt excerptiones.

Iam, cum eremita noster augustinianus diu multumque in Lusitania transegerit, isque in Hispania et in Italia quoque aliquamdiu versatus sit, nec alias terrarum urbes bene multas non perlustraverit, ut id aetatis religiosae historiae vir haud mediocriter notus evaserit, harum nationum Tabularia consulere, si opus perficerem absolutum, necesse fuisse nemo profecto est quin intellegat. Hanc igitur provinciam suscepi, ubi meae doctorali thesi operam navandam constitui: inceptum sane laboriosum atque difficile, quod per annos octo aggressus sum. Re quidem vera opus mihi fuit patientia ac perseverantia ut sexcentos veteres libros pervolutarem, quamplurimos codices et eos quidem iam exsesos luce imprimerem atque transcriberem. Accedit quod ultro citroque peregrinandum mihi indesinenter fuit.

Quod si mihi liceat, quae praecipua tabularia atque bibliothecas adiverim brevi enumeratione complectar. Non quod mea

8. Cf. vol. VII, pp. 690-696.

9. «En la biografía antecedente se han seguido con especial cuidado las indicaciones que por orden cronológico trae anotadas el P. Herrera en sus extractos de los Registros generalicios, por ser estos datos los más autorizados y seguros para enterarnos a fondo de la vida de nuestro religioso, y porque completan las notas biográficas que el autor mencionado publica en sus obras, pues es de saber que no utiliza todas las indicaciones de referencia en las biografías del P. Toscano. Nos hemos propuesto, además, sin citar escritores estraños, rectificar afirmaciones erróneas o no suficientemente fundadas que corren, sin embargo, muy validas en bibliografías especialmente portuguesas; por esto y para no alargar las citas copiando a otros escritores, nos hemos concretado a los extractos expresados, queriendo demostrar con esto a la vez que *los consideramos como la fuente de información más fiel y segura para biografiar con acierto al P. Toscano*» (p. 693).

velim iactare merita, sed quia id satis superque demonstrabit quantum laboris ac sudoris huiusmodi requirat opus, si unquam ad illud honeste accedere velis.

Quae cum ita sint, en tibi quae consultationis pervestigationisque gratia mihi adita sunt: *Bracarum*: pagi Tabularium et Bibliotheca Publica; *Oporti*: Tabularium pagi, Tabularium quod Misericordiae audit, Zothea Historiae Civitatis et Publica Municipii Bibliotheca; *Conimbrigae*: Athenaei Tabularium et Bibliotheca Generalis Universitatis; *Olisippone*: Tabularium Nationale quod vulgo «Torre do Tombo» appellatur, itemque Bibliotheca Nationalis, Bibliotheca Academiae Scientiarum et Bibliotheca «da Ajuda» quae dicitur; *Eborae*: pagi Tabularium et Bibliotheca Publica; *Salmanticae*: Universitatis Tabularium, Tabularium Historicum Provinciale, Cathedralis Tabularium et Bibliotheca Athenaei; *Vallisoleti*: Tabularium Generale Simancense; *Matri*: Tabularium Historicum Nationale et Bibliotheca Nationalis; *Florentiae*: Tabularium civile; *Romae*: Tabularium Generalicium Augustinianum, Tabularium Vaticanum, Bibliotheca Angelica et Bibliotheca Vallicellana; *Neapoli*: Bibliotheca Nationalis.

Nunc vero quid reipsa novi graviorisque ponderis mea attulerit thesis proferendum censeo.

A pueritia et iuventute Magistri Sebastiani Toscani incipiam. Pueritiam quidem Oporti egit, ubi in vitam venit; iuventutem vero Salmanticae traduxit, quo se contulit ut Almam Studiorum Matrem frequentaret; mox tamen ea studia reliquit ut Sancti Augustini coenobium ingrederetur.

Lectoris venia haud equidem affirmare dubitaverim omnia hic esse nova: tempus namque definitur quo Oporti primum lucem aspexerit anno 1515; ordines minores referuntur, quos in cathedrali Bracarensi anno 1526 ipse suscepit; Iuri Civili Salmanticae studuisse anno 1531 comprobatur.

Cum vero plura eaque directa non suppetent documenta, ad indirecta transeundum constitui. Itaque cum in ipsius generis stirpis incumberem studium, eius parentes propinquos-

que in apertum eruere valui ¹⁰; quo factum profecto est ut et aliquid lucis in eius primam institutionem iniceretur, et causae aperirentur cur adeo esset propensus ad quaedam pertractanda argumenta, quae in eius litterarum operibus haud raro obveniunt.

Quae cum ita sint, indicia aliquot nova thesis suppeditat ad nostrae Publicae Institutionis historiam cognoscendam; siquidem quattuor novi adolescentum magistri, seu ut lusitana sententia fert, «mestres de ensinar moços» adinventi sunt: qui quidem magistri, tametsi ineunte renatarum artium atque litterarum aetate ad primam litterarum elementa in Lusitania docenda multum contulerunt, in oblivionem nihiloominus abierunt et vix aut ne vix etiamnum cognoscebantur ¹¹.

10. ARMANDO DE JESUS MARQUES, *Os "Reimões" do Porto e Ribadouro no século XVI*, in «Boletim Internacional de Bibliografia Luso-Brasileira», III (Lisboa, 1962), pp. 284-326.

11. Qui quattuor novi adolescentum magistri lusitane sic nominantur: Brás Anes, António Alcoforado, Francisco Fernandes et Pantaleão Martins.

Brás Anes habitabat in via sic dicta «da Lage» et iam anno 1541 munere vacabat: «En veynte dias de Dezembro bautize a Pedro, filho de Domingos Piriz soltero y de Catalina Anes soltera, moradores a la Laja desta ciudad; fueron padrinhos Blas Yannes que ensino moços y madrina Maria Alvares viuva, truxole Isabel Nunes viuva, todos moradores a la Laja. Juan de Sosa».

António Alcoforado uxorem duxerat Mariam Gomes et anno 1542 munus suum exercebat: «En dezinieve dias de Maio bautize a Maria esclava blanca de Manuel de Caires hija de Isabel sua esclava parda y dizem que el padre se lhama Miguel Diaz mercader; fueron padrinos Diego Rodriguez ofiçal de vestimentas soltero y Maria Gomez fue comadre, molher de Antonio Alcoforado mestre de moços, truxole Mariannes la madre, todos moradores enesta ciudad. Juan de Sosa».

Francisco Fernandes via «do Souto» quae dicitur incolebat, in annis 1542 ac 1543 institutioni operam dabat, atque cum Cecilia Fernandes connubio iunctus erat: «En xxviiij de julio bautize a Diego filho de Fernan Gonçallvez pedrero y de Catalina Gonçallvez moradores a la rua de las Tapias, que va al monasterio nuevo; fueron compadres Juan Yanes ferrero y comadre Ceçilia Fernandez molher de Francisco Fernandes que ensina moços, todos moradores enel Soto, truxole Maria Annes la comadre. Juan de Sosa»; «En xxj de Otubro bautize a Antonio filho de Fernan Diaz calderero y de sua molher Violante Piriz, moradores al monasterio novo de Sant Eloi; fueron compadres Francisco Fernandes mestre de moços y madrinha Ana

Ea ergo causa est cur vitae socialis urbis Portucalensis saeculo xvi depingatur itemque quaeratur subinde quantum illa temporum adiuncta, quae Sebastiano Toscano puero contigerunt, in eius opera influxerint.

Quod de eius Salmanticae vita narratur, satis dilucide declaratum esse arbitror ex editis primis Lusitanorum Catalogis qui id aetatis Universitatem studiorum causa convenerunt, itemque ex primo eorum elencho qui religiosae vitae, observantioris eius quidem quam illa erat quae in patria vigere videbatur studiosi, Sancti Augustini asceterium expetiverunt. Quae quidem argumenta duo non meo solum grata admodum sunt cordi, verum etiam cum tantum ad religiosae vitae cultum in Lusitania momentum habuerint, spero equidem fore ut, Deo bene iuvante, ad ea in posterum libenter revertar.

Anno 1541 Olisippone Sebastianus Toscanus versabatur, cum Seripandus (qui lusitanorum coenobiorum canonicam visitationem instituerat) eum fecit tanti, ut secum illum in Italiam adduxerit.

Hic quaeret fortasse quispiam: si Fr. Sebastianus Toscanus in Salmanticensi coenobio habitum sumpserat idemque in Provinciam Castellanam cooptatus fuerat, quid causae fuit cur Olisipponem inde migraret? Quandonam porro eo venerit?

P. Vincentius Beltranus de Heredia, O. P., in quodam magni pretii libello cui titulum imposuit *Historia de la Reforma de la Provincia de España* (1450-1550), quique anno 1939 Romae typis

Fernandes molher de Vicente Piriz calderero, truxole Maria Annes la partera. Juan de Sosa».

Pantaleão Martins in via vulgo «de Almea» degebat, anno 1543 magistri supra dicto munere fungebat, quo quidem anno ex Andresa Fernandes filium spurium genuit: «En tres dias de Dezembro bautize a Reimon filho de Pantaleon Martins mestre de ensinar moços soltero y de Andresa Fernandes soltera, moradores en la rua de Almea (o Minhota); fueron compadres Remon d Armas saboyano pintor y comadre Marquesa Fernandes molher de Jacome Piriz marinhero, truxole Maria Annes la fornera del forno velho molher de Juan Estevanes trabalhador. Juan de Sosa».

Arq. Dist. Porto, 1.º L.º de *Baptismos da freguesia da Sé*, fls. 36, 45v, 47v. 73, 76.

est editus, solidum caput conscripsit, ut quanta Reformationis vis in Aragoniam et Lusitaniam redundaret in apertum erueret idemque documentis suffultus, quae ad nos pervenerunt, haec sine verborum pigmentis ac fuco declarat:

1) Anno 1536 Ioannem III, Lusitanorum regem, a Provincialibus Hispaniae ac Baeticae rogavisse, ut de normis se certiore facerent quae illis in Provinciis vigerent, ubi religiosa vita tantopere floreret.

2) Simul ad Dominicanorum Generalem regem adivisse petitum ut idoneus designaretur religiosus vir qui in lusitana asceteria Reformationem induceret.

3) Regis rogatui obsecutum destinasse Generalem anno 1538 P. Hieronymum Padillam, itemque novo Vicario deprecante, facultatem tribuisse ut viginti religiosos a Provincia hispanica secum afferret, qui ei in reformationis labore auxiliarentur.

4) Religiosos illos in Olisipponense asceterium magnam partem coisse (quod quidem coenobium ad reformationem inchoandam Vicarius elegisset); at paulo post primum mutatum esse consilium: ut Hispani, quos illuc Padilla secum tulisset, in alia coenobia distribuerentur; in eorum autem locum Lusitani bene multi sufficerentur qui Salmanticense Sancti Stephani asceterium ingressi fuissent ¹².

Haud equidem infitior nihil me initio ex hisce documentis inferendum putasse, ut utrumque reformationis opus inter se coniungi posse videretur. Haud sane dubie utrumque exordium eodem tempore sumpserat et eadem impulsu vi fuerat, nempe a Ioanne III, lusitano rege. Nihil tamen aliud tum contuitus sum quod utrique commune esse posset. Quin contra, magna mihi videbantur interesse discrimina inter reformatores seu Vicarios, quandoquidem augustiniani Vilafranca et Montoia in Lusitania ad mortem usque permanserunt, Dominicani vero hispanos Vicarios in Lusitania crebro commutarunt.

Ecce autem bibliographicum repertum, quod prima sane facie nihil singularis momenti prae se ferre videbatur, eam

12. o. c., pp. 220-227.

intuendi rationem funditus immutavit idemque pretiosissimae adinventionis filum protendit.

In Tabulario Nationali quod «Torre do Tombo» nuncupatur quattuor asservantur scripturarum libri coenobii Olisipponensis Dominae Nostrae a Gratia ¹³. Documenta sicca sunt emptionis et venditionis iuxta ac donationes, locationes, cetera. Verumtamen, si ea patienter constanterque legas, hic illic procul dubio aliquid invenies quod ad coenobii historiam nonnihil conferre videatur; atque inter fratres oppido multos eosque sine nomine, id nonnumquam fiet ut alicuius vestigia incedas, qui maiore auctoritate vel gravitate polluerit. Est autem scriptura anni 1538, quae in albo fratrum ibidem contentorum coetum quendam exhibet hispanorum, quorum nomina in praecedentibus scripturis reticebantur eademque in sequentibus mirum in modum evanescent ¹⁴.

Primo equidem mecum reputavi eos in alia distributos esse coenobia, sicut Dominicanis evenerat. Quocirca magna adductus spe eo pervestigaciones meas intendi ac Bullas Litterasque Apostolicas Tabularii Nationalis quod «Torre do Tombo» appellant, statui pervolutandas. Haud sane magni negotii res fuit. Brevi post Seripandi diploma inveni, anno 1539 datum, quod meas suspiciones confirmavit omnino et in summam nunc contrahendum curabo.

Studio permotus Ordinis Augustiniani reformationem suis in finibus instaurandi, Ioannis III, lusitanus rex, postremis illis temporibus ad Priores Generales Gabrielem Venetum et Ioan-nem Antonium litteras dederat ab eisque facultatem petiverat ut duo eligerentur Provinciae Castellanae religiosi viri, qui ad sanctae Reformationis tenorem vitam suam conformarent, ut **idem Provinciam Lusitanam inviserent atque reformarent.**

13. Arq. Nac. T. T., *Sala 25, Est. 53, Cx 5. L.os 1, 2, 3 et 4.*

14. «...ho Reverendo Padre frey Luis de Montoya comisayro e prior da dita Religiam e moesteiro e frey Sebastiam Leitam e frey Pero Bispo e frey Jhoam da Madanella (sic) e frey Bertolameu das Martes e frey Belchior e frey Dominguos e frey Paulo de la Torre e frey Dioguo de la Torre e frey Pero Velasquez e frey Johão Fernandez e frey Symão e outros...» (L^a 1, fl. 147v).

Quod ita sane factum est. Sed cum ii Priores Generales, de quibus ante dixi, mortem obiissent, anceps dubiusque nutabat rex, utrum ob eorum mortem an aliis de causis differretur vel impediretur fructus tanti illius operis quod secundissimis auspiciis esset inceptum. Hinc, ait Seripandus, usu venit ut lusitanus rex ad eum scripto adiret, ut omnia rata haberet atque confirmaret, quae Superiores Generales impertivissent, vel aliquid etiam novi adiungeret quod sibi opportunum videretur.

Cui Seripandus non invitus morem gessit eique potestatem fecit ut laudatos reformatores assignaret. Adde quod hanc ei iniecit spem, quae erat quaedam quasi praeceptio, ut nimirum Castellae Provincialis aliquot in Lusitaniam religiosos mitteret, qui ad Vicarios in reformationis incepto iuvandos essent idonei, eique plenam auctoritatem potestatemque ad id efficiendum ultro concessit ¹⁵.

Iverintne pari numero Lusitani qui Salmanticae ad augustinianorum familiam sese aggregarint necne, pro comperto non est. In praesens enim documenta quibus id comprobaretur nulla equidem inveni, sed verisimile admodum videtur ita accidisse. Si quidem ceteris in rebus Augustinianorum atque Dominicanorum reformationes pari tractu conductae sunt, cur hac duntaxat in re discreparent? Argumentum hoc absque dubio evincit, si illud praesertim habetur prae oculis, quod Ioannem III, Lusitanorum regem, propulerit ad impetrandum ut Lusitani pro Hispanis in Olisipponensi Sancti Dominici coenobio substituerentur: insita nempe Lusitanorum praeiudicia adversus externos, maxime si hispani ii essent, seu ut hispanica sese sententia habet

15. «...aderit et Reverendi Patris Provincialis provinciae nostrae reformantissimae Castellae auxilium huic tam pio negotio quem in visceribus Christi rogamus quatenus tanto negotio manus, mentem et corda adiutricia prebeat ut Ordo edificetur ad gloriam Dei et ad consolationem et beneplacitum tanti regis et ut quotquot de provincia sua fratres religiosos et huic sanctissimo negotio aptos accomodare potuerit libenter accommodet et ad dictam provinciam Portugalliae mittat pro quibus nominandis et assignandis seu in illam provinciam transferendis nostram integram concedimus potestatem quibus omnibus ab eo sic nominatis et assignatis precipimus precepto formali habeant comparere prout fuerint ab ipsis visitatoribus Portugalliae vocati...». Arq. Nac. T. T., *Bulas e Breves*, m. 34, n. 4.

—«la prevención innata del carácter portugués contra los extraños, en particular si son castellanos»¹⁶—. Quod in causa sane fuit, cur lusitanus rex vereretur ne eorum globatim praesentia in asceterio quod primum obtinebat in regno locum illi officeret animorum consensionem quae in omni sodalitate bene constituta debet elucere.

Nonne haec ratio a P. Beltrano de Heredia allata, quae ceteroquin solido mihi fundamento videtur fulciri, utpote cum Imperatricis innotatur litteris (non oportet —ait ipsa— ibi maneant, seu hispanice «no conviene que queden alli»¹⁷), nonne, inquam, ea ratio pariter pro coenobio augustiniانو Dominae Nostrae a Gratia valebat? Equidem egomet sic existimo.

Cum haec ita sint, Toscanus cum aliis Lusitanis in Portugalam forsitan commigravit circa annum 1538. Olisippone dein tantisper commoratus fortasse est dum anno 1541 a Seripando, cui magnopere placuerat, in Italiam conductus est.

En igitur ut temporis definiendi studium —scilicet quando Salmantica Fr. Sebastianus Toscanus in Lusitaniam venerit— hoc secum traxerit, ut quaestio longe multoque amplior collustraretur.

Aliud adiumentum, ut opinio mea fert, magni momenti profecto est: Ordinationum nimirum editio, quas Seripandus perfecta, ut supra commemoravi, visitatione anno 1541, provinciae lusitanae reliquit. Hasce ego ordinationes, quae vix aut nullo modo adhuc editae erant, ultro in thesi commentatus sum, ut ad calcem aliquid certi definitique eruisse videar. Non equidem infitior graves ibidem existere rationes, ut religiosos a pristina asceteriorum observantia longe multumque deflexisse iure meritoque sentiamus. Re tamen vera, minus quaestio erat de morum turpitudine, quamquam eam quoque interdum irrepisisse negare non possumus, quam de imminuto animi ardore vel etiam de terrenis rebus humanaque gloria prorsus abiciendis. Ex altera vero parte, eo res discriminis progressa minime erat, ut nemini admiratio dolorque moveretur (veluti in illis usu venit aegrotis qui medicamentis iam nihil aut prope nihil

16. BELTRAN DE HEREDIA, *Historia...*, p. 226.

17. *Ibid.*

resipiscunt). Immo contra iidem ipsi qui prava sua agendi ratione hunc rerum statum pariebant, facere non poterant quin eum dolerent. Adeo ut ipsae Seripandi Ordinationes non morbi solummodo gravitatem patefaciant, sed manifesta etiam oboedientiae animique demissionis indicia testentur¹⁸.

Praeclarissimum sane curriculum erat Toscanus in Italia peracturus: Generalis ab epistulis, Bononiae Lector (quod quidem studium erat generale quo nullum Ordo excellentius in Italia possidebat), studiorum rector Sodalicii Sancti Ioannis ad Carbonariam, Neapoli, ac demum anno 1545 sacrae Theologiae Magister; tunc autem in patriam remeavit.

Ab anno 1545 ad annum usque 1551 Sebastianus Toscanus in coenobio Olisipponensi commoratus est. Cum esset magno ingenii acumine praeditus, eruditus, omnibus bene acceptus, ad persuadendum mirifice aptus, eae sibi inerant virtutes atque excellentiae, ut et in aula principum et in suggesto facile triumpharet.

Neque fefellit res quae tanti illius viri habetur existimatio! Regis namque exstitit concionator idemque Ioanni III, Lusitaniae regi, Dominae Catharinae, Infantibus et optimatibus gratissimus aulicus. Sed... circum rosas nonnumquam enascuntur vepres!...

Sermo fit in thesi isque longior de quadam «praetridentina Reformationis opinione»: ut ibidem aperte declaratur, magnos Ecclesia conatus in Hispania et in Lusitania adhibebat, ut ad calcem reformationem perduceret, cuius quidem exeunte saeculo xv et saeculo ineunte xvi tantopere animi indigebant. Hoc attamen opus, ut in thesi palam asseritur, Tridentinum quodammodo praecedat eique praefuere Cardinalis Cisneros et Lusitaniae rex Ioannes III. Neque tantum ob eam causam quod prior fuit a Tridentina reformatione distinguitur, sed alia etiam

18. Has Seripandi Ordinationes Romae in Tabulario generalicio augustiniano inveniuntur. Praeterea Acta capitulorum provincialium ab anno 1542 ad annum usque 1552 in eodem tabulario asservantur et in thesi etiam includuntur. Quae tamen, pretioso elencho fratrum praetermisso, minoris momenti sunt.

via fuit atque ratio qua eam prosecuti sunt: magnum quippe discrimen intercedebat inter mali gravitatem, quo afficiebatur Paeninsula et illud quod exteris grassabatur gentibus.

Atque in primis ipsam inspiciamus doctrinam. Numquam apud nos dogmaticum Fidei aedificium rimas egit. Cum media prope Europa Lutheri haeresis incendio absumebatur, cuius quidem flammae e Witenbergensi platea excitatae perferebantur, cum Erasmus fucata illa scribendi agendique ratione, ob indolem maxime contumacem a scholasticis disciplinis summo pere abhorreret idemque disparibus de se opinionibus ansam daret; tum Aegidii Vincentii satiris (quamvis id Carolinae Michaeli potissimum doleat), et apud López de Ayala aliosque id aetatis auctores ingenuum reformationis studium sincerissima ductum orthodoxia iam penitus latebat.

Nihilo tamen minus ad disciplinam moresque quod attinet, aliam oportuit esse apud nos medendi rationem, quam apud ceteras gentes, quae centum ante annos quam nos validis renovatarum artium atque litterarum ventis conquassatae erant. Si solam monachorum vitam, exempli gratia, respicere volumus, cogitemus quam longe alia fuerit ratio atque via coenobium in Italia aut in Hispania vel Lusitania reformandi. Cum Roma erat religiosum christianorum caput, tum ad eius etiam trutinam totius terrarum orbis nullus cogitandi vivendique modus non perpendebatur. Quamobrem, vitae ratio in monasteriis (quoad victum, disciplinam, humanam religiosamque institutionem) magnam exteris in gentibus subibat conversionem; eratque ab illa vitae simplicitate morumque severitate, quam in Paeninsula profitebamur, valde sane dissimilis.

Cum Sebastianus Toscanus anno 1545 in Lusitaniam pervenit, quamquam non amplius triginta natus erat annos, iam plurimas peragraverat urbes idemque cum viris id aetatis apprime doctis iuxta ac nobiles familiariter vixerat. Etenim Bononiae studuerat, Romae Seripandi consuetudine usus fuerat, Neapoli studiorum moderator extiterat; denique magni illius Tridentini Concilii praeparationi interfuit. Quare veri nominis europaeam cogitandi agendique formam, magis eam quidem universos homines spectantem, prae se ferebat; quae nihilominus mens cum iberico reformationis studio atque con-

silio et cum Vicariorum hispanorum Montoiae ac Vilafrancae angustiore oculorum acie acriter collidebat.

Hinc illae querimoniae apud Seripandum ab ipso expromptae, quas legere profecto est in epistulis XV quas per id tempus ad eum misit. Quas ego epistulas fortunatus sane reperi. Cum illi respondebat Generalis —qui eum alioquin in oculis, ut ita dicam, gestabat— leniter ei nimium exprobatat idealismum eumque hortabatur ut ea Deo committeret quibus remedium nullum aferri videretur ¹⁹.

Adeo vero animorum contentio est aucta, ut anno 1551, cum magno novarum partium, quibus praeerat, dolore Ioannis III, Lusitanorum regis, iussu Sebastianus Toscanus in Castellam exulare coactus sit.

Deus tamen Optimus Maximus ex malefactis beneficia nonnumquam trahit. Itaque ex beneficiis bene multis, quae lusitanus ille vir suo consecutus est exsilio, illum haudquaquam minimum profecto fuit quod arctissimo amicitiae vinculo cum Fr. Ludovico de Leone coniunctus est in coenobio Salmanticensi, ubi habitum sumpserat et quo sese nunc recipiebat. Sebastianus enim Toscano tamquam defensionis teste Fr. Ludovicus utitur ubi actio contra se ab Inquisitione instituta est ²⁰. Que-

19. «Magistro Sebastiano Toscano. Saepe abs te nobis litterae redduntur, sed eiusdem fere argumenti: quibus nos respondemus saepissime et cogimur eadem rescribere: monere scilicet te, ut quae medicinam non habent ullam toleremur, quoad Deo ita placuerit, qui longe melius quam nos homunculi quorsum ista omnia evasura sint videt et dirigit. Neque ad ea quae scribis aliud est quod respondeamus.

Videbamus certe nobis divinare celerem istam reversionem molestiae tibi aliquid atque indignitatis allaturam, quae, si tardior fuisset, ut nos cupiebamus, maiorem tibi et auctoritatem parere potuisset et dignitatem. Sed posteaquam facta infecta esse non possunt, tuum erit in ista tua navigatione omnes prudentis gubernatoris numeros explere nihilque agere quod possit improbari. Versaris ante oculos Regis piissimi et regni vere christiani: da opera ut Deus in te glorificetur. Reliqua, sine curare Deum, qui mortificat et vivificat».

Cf. DAVID GUTIERREZ, O. S. A., *Ascéticos y místicos agustinos de España, Portugal e Hispanoamérica*, in «Sanctus Augustinus, Vitae Spiritualis Magister», II (Romae, 1959), p. 167.

20. Res omnibus nota Fratrem Ludovicum Legionensem in carcere in-

madmodum apud praeclarum illum Magistrum Leonem, sic apud Sebastianum Toscanum nos mirum quantum delectat perinde veritatis amor et longius prospiciendi ratio; quippe modo graecanicum sermonem, hebraicum modo versat, historiam ac geographiam percallescit idemque in exegeseos studiis optimam lectionem numquam non persequitur: varios namque confert textus, disputat vel etiam ab ipso divo Hieronymo (si ita sibi videtur) dissentire non dubitat; demum si utriusque auctoris theologicorum operum aliquot conferimus locos, quendam invenimus si minus influxum, at certe concursum explanatione dignum.

Porro, exsilium Castellae Sebastiani Toscani occasio fuit ut cum Eleonora a Mascarenhas —quae quidem Phillippi II pueritiae institutrix fuerat— etiam vinculo amicitiae coniceretur

quisitoriali Vallisoletano per annos quinque comprehensum fuisse. Atqui, die 31 Iulii 1574, reus apud iudices hanc admonitionem fert:

«...por Vuestras Mercedes me fue mandado que acerca de una exposicion de los Cantares que estaba entre mis papeles, y yo he declarado que era del maestro Benito Arias Montano, que declarase de nuevo quién y qué personas sabian que la dicha exposicion era del dicho maestro; y yo en respuesta dije, que el maestro fray Sebastian Toscano, agustino, sabia que era del dicho Montano la dicha exposicion, porque él se la habia mostrado, y el dicho Toscano la habia visto y tenido en su poder, hartos años antes que el dicho Benito Arias me la diese a mi. Lo cual es así verdad. Y para que conste a Vuestras Mercedes ser así, si por otra via no constare que la dicha exposicion es del dicho Montano, suplico a Vuestras Mercedes manden examinar al dicho maestro Toscano, fraile agustino, por las preguntas siguientes:

1.º Si conoce a Benito Arias Montano, etc.

2.º Si sabe y si acuerda que, residiendo él en San Agustín de Salamanca al tiempo que murió el Príncipe de Portugal, padre deste Rey que es agora, el dicho Benito Arias Montano le mostró una exposicion de los Cantares de Salomon en romance, que el dicho Benito habia hecho, y que él la vio y tuvo en su poder y celda algunos dias, y le pareció bien y trasladó para si algunas cosas della.

3.º Item, siéndole mostrada la dicha exposicion y habiéndola visto, diga y declare si sabe y se le acuerda que esta que se le muestra agora es la misma que el dicho Montano le mostró y comunicó.

Cf. *Colección de documentos inéditos para la historia de España*, XI (Madrid, 1847), pp. 293-294.

«El Príncipe de Portugal», de quo in textu, fuit Ioannes, Ioannis III filius et Sebastiani pater, qui ambo Lusitanorum reges. Die 2 Ianuarii 1554 vita functus est.

atque ut, ipsa impetrante, opus quod *Confessiones de San Augustin* inscripsit ac ab eximio illo Hipponensi ingenio compositum fuerat, primo ex latino in hispanicum verteretur sermonem. Egregriae illae lusitanae Dominae librum hisce Sebastianus Toscanus dicat verbis:

«A la muy illustre Señora doña Leonor Mascareñas,
aya del muy poderoso Principe de España don Philippe,
y del Serenissimo Infante don Carlos su hijo,
fray Sebastian Toscano dessea todo bien, y salud.

Quando me acuerdo, muy illustre Señora, del pesado lugo, que el mundo pone sobre la cerviz de los suyos, no puedo assaz loar la libertad de los hijos de Dios. No ai cosa mas estraña, y aspera a la naturaleza del hombre que el pecado, ni mas conforme, y allegada que la virtud. Y no es de maravillar que sea intolerable el injusto mandamiento del mundo injusto, pues aun la ley, que el Apostol llama sancta, justa, y buena, dada por Dios justo, y bueno, en los tiempos passados parescio tan pesada, y difiçil de llevar (...).

Vuestra Señoria me mando que traduxesse las Confesiones de nuestro Padre Sant Augustin. Y si me mandara que le hiziera este servicio, bolviendolas en mi propria lengua Portuguesa, tuvieralo por cosa dificultosa, pero siendo en la Castellana, que es agena, pareciome quasi imposible, por muchas causas que dixera aqui, si lo oviera de aver con otro que con Vuestra Señoria de quien estoy tan bien cierto que suplira todas mis faltas. Baste decir que lo que se desta lengua, es por arte, y que nunca el arte, aunque lo procura, yguala a la naturaleza. Y aunque sufrire alegremente en lo que toca al estilo qualquier emienda, en la voluntad que tengo al servicio de Vuestra Señoria no quiero que me reprehenda ninguno (...).

Es assi que traduzir libros de una lengua en otra es como los liquores que passandolos de unos vasos en otros siempre se menoscaban, perdiendo algo de su primera cantidad y medida. Yo bien sospecho que esta mi tra-

ducion no responde a la gracia de su original con muchos quilates, y que he gastado, y escurecido gran parte de su hermosura: pero se por otra parte, que es tanta, que por estragada que este por mi poca destreza, no podra encubrirse ni abscondirse de todo. Y quando a Vuestra Señoria le pareciere no ser assi como digo, el parecer de Vuestra Señoria sera verdadero, y yo no por esso perdere el fructo de mi trabajo que es solamente servir y obedecer a Vuestra Señoria.

Christo Jesu verdadero Señor Nuestro sea siempre con la sancta anima de Vuestra Señoria y por la mia pecadora le suplique. Desta su casa de Sancto Augustin de Salamanca a quinze de Henero de 1554».

Permultas sane orbis partes hispanico illo saeculo perlustratura ista erat interpretatio. Mirum igitur non est quod quindecim annorum intervallo quinque sortitae sint editiones ²¹. Adde quod liber profecto fuit quem omnes ad manum habuere hispanici mystici illius «saeculi aurei», quo ad imum commovebatur cor Sancta Theresia ab Iesu, ut ipsamet confitetur in *Libro de la Vida* ²².

21. 1.° *Las Confesiones de San Augustin, traducidas de latin en romance castellano*, por el padre Maestro fray Sebastian Toscano de la Orden de San Augustin. En Salamanca. Por Andrea de Portonaris. Año 1554 (8.°, 277 fls.).

2.° Idem, in «Anvers. En casa de Martin Nucio. MDLV» (12.°, 277 fls. + 1 fl.).

3.° Idem, «En Colonia Agrippina, herederos de Arnaldo Bircmanno, 1556» (12.°, 298 pp. — revera, 352).

4.° Idem, idem. 1566.

5.° *Las Confesiones, traducidas de latin* por el padre Maestro fray Sebastian Toscano. En Salamanca. En casa de Pedro Lasso. 1569. (8.°, 277 fls. + 1 fl.).

22. «En este tiempo me dieran las *Confesiones* de San Augustín, que parece que el Señor lo ordenó, porque yo no las procuré ni nunca las había visto (...). Como comencé a leer las *Confesiones* paréceme me vía yo allí. Comencé a encomendarme mucho a este glorioso santo. Cuando llegué a su conversión y leí cómo oyó aquella voz en el huerto, no me parece sino que el Señor me la dió a mí, según sintió mi corazón; estuve por gran rato que toda me deshacia en lágrimas, y entre mí mesma con grande aflección y fatiga! Oh, qué sufre un alma, váleme Dios, por perder la libertad que había

Nunc vero analysi subiciam augustiniani eremitaе opera cum litteraria tum etiam theologica eaque quattuor in genera, quae coluit, dispertita: epistulas, sacram dicendi artem, religionis pietatisque doctrinam et Sacram Scripturam. Ob spatii egestatem, locos perpaucos afferre valeo. Et quidem imprimis ex epistula quam hispanice ad Seripandum die 15 Ianuarii 1561 conscripsit:

«La paz de Dios, que vence todo sentido, sea siempre en la santa anima de Vuestra Señoria Reverendissima!

Si yo soy hijo de aquel gran Padre Agustino, que no queria mas de amar y ser amado (este era su querer, su condicion, su genio!), que maravilla si enesto soy semejante a my padre?! Sabe aquel Señor, a quien de día y de noche sirvo en espiritu y verdad, que no queria sino amar a este Señor (que me amo y murio por my) y aquellos que le sirven y aman. Esto solo queria. Mas que hay fuera desto? Y porque el tiempo que estuve enel servicio de Vuestra Señoria Reverendissima conoçi ser un gran servidor y gran amante deste Señor de todos, yo le ame a Vuestra Señoria Reverendissima, y amo, con el amor, lealtad, fe y cortesia mayor que pienso (si no me engaña amor) ser señor de syervo amado. Y si yo me engaño, dichoso tal hyerro, que me da tanto contentamiento!»²³.

Alia in epistula, quam anno post uno cum dimidio ad eundem Generalem lusitane scripsit, declarat nuntios qui a Seripando ad se venissent, idem fuisse sibi quod aqua gelida illi esse assollet qui sub maximo solis ardore, media aestate iter facit, aut sicut ros matutinus vel pluvia Aprilis, quam humus arida ardentem inhiat: «No ultimo de Junho recebi hũa de Vossa Senhora (...) a qual, foi a mim o que a agua fresca ao que polo

de tener de ser señora, y qué de tormentos padece! Yo me admiro ahora cómo podía vivir en tanto tormento. Sea Dios alabado, que me dió vida para salir de muerte tan mortal». Cf. *Libro de la Vida*, cap. IX. Apud editionem BAC (Matriti, 1962), p. 42.

23. Bibl. Naz. Nápoles, ms. XIII, AA 47, fl. 88.

calore stranho camynha, no verão, quando o sol mays se empina, e como o rocyo da manhã e a chuyva no mes de Abril por quem a seca terra brama»²⁴.

In oratione funebri quam de Alfonso de Albuquerque habuit²⁵, virtutes appellat aurum ornamentumque divinum, quo Deus animos exornat, cum eos de caelo proicit tamquam roris stillas in cochleis e quibus gignuntur gemmae: «joyas de Deos, con que Elle aformosenta as almas, lançando as do ceo, como gotas de orvalho nas conchas, de que se geram as perlas»²⁶. Addit deinde, quamvis reapse theologicae virtutes praeprimis habendae sint maximi, nihilominus orbandas non esse virtutes morales ea qua dignae sunt aestimatione; quin etiam ex omnibus quandam quasi catenam esse contexendam auro et obryzo pretiosiore, quod terra parit Evilath, eamque omnibus margaritis quae sive in Orienti sive in Occidenti inveniri possint esse perficiendam: «Posto que estas tres virtudes teologicas (...) sam as que principalmente dão ao homem honra & gloria, nem por isso se devem defraudar as virtudes moraes da sua gloria & valia (...) mas de todas se faz hũa rica cadea, mais preciosa que do ouro Obrizo, que a terra Evilath cria, rematada com toda a pedraria que no Oriente & no Occidente achar se pode»²⁷.

Mystica Theologia libellus quidem est non sine lepore conscriptus, quo vitae spiritualis triplicis viae (purgativae, illuminativae et unitivae, sicut classica ferebat designatio) exhibetur conspectus²⁸.

24. Ibid., fl. 99.

25. *Oração, que fez o padre Mestre frey Sebastião Toscano en Sancta Maria da Graça de Lixboa a dezenove dias de Mayo de MDLXVI na trasladação dos ossos, da Índia a Portugal, do mui illustre & mui excellente Capitão & Governador da Índia Affonso de Albuquerque.* Com licença, impressa. Em a muy noble et sempre leal cidade de Lixboa per Manoel Joam. 1566.

26. fl. 5.

27. fl. 6-6v.

28. *Mystica Theologia, na qual se mostra o verdadeiro caminho pera subir ao çeo conforme a todos os estados da vida humana.* Composta por o padre Mestre frey Sebastião Toscano, da ordem dos ermitães de Sancto Agostinho. Lixboa, em casa de Francisco Correa. 1568.

Infitiari nemo audeat magnam in eiusmodi scripta vim exercuisse Sanctum Thomam. Exemplo sit locus ille ubi Sebastianus Toscanus de castitatis voto perbelle disserit.

Quid hoc addit votum statui, in quo ipsa iam virtus exercetur, tametsi non ipsius vi voti? Quae in *Summa Theologica* latius pertractantur ²⁹ compendiose hic recordabor:

1) Adiungit nobilitatem ac meritum virtutis religionis proprium, hoc est, aliarum virtutum actus meliores quidem sunt ac maiore gaudent merito, siquidem ad Dei cultum ac fere ad eius sacrificium pertinere incipiunt.

2) Qui votum emittunt alicuius rei faciendae eamque exsequuntur, maius adpiscuntur meritum quam qui eandem rem faciunt illa non promissa. Libertati renuntiant de se ipsis disponendi in futurum, quatenus illud spectatur quod promittunt. Perinde fructum et arborem tradunt.

3) Vi voti voluntas bono virtutisque firmiter immutabiliterque adhaeret. Quamquam nonnulli exstant hodierni auctores qui rem sic intellegere nolunt. Argumentur ii quidem non sine fuco ac fallaciis melius esse iterum ac saepius recte initum consilium renovare quam id semel in perpetuum capere. At, mea quidem sententia, toto caelo errare videntur. Nam ordinis moralis irrevocabilitatem cum beneficiis psychologicis quae ex recta intentione crebro renovata oriuntur, nescio quomodo confundunt, iidemque perinde argumentantur ac si efficaciam sacramentalem ad agendum «ex opere operato» voto attribueremus.

Recte ergo cogitabat Sebastianus Toscanus cum haec exegetica verba persubtiliter scripsit: «Ensinando nos ho Senhor outro atalho do voto da castidade, põe tres sortes de eunucos: huns por defeito intrinseco de natureza; outros por violencia extrinseca (os quaes não tem algum merecimento); dos terceiros diz: Ay outros eunuchos, que se castrarom por ser reys no çeo. Não quer dizer que os taes se castrassem por força extrinseca con dano de suas pessoas, mas com renunciação do

29. II-II, q. 88, a. 6: *Utrum magis sit laudabile et meritotium jacere aliquid sine voto quam ex voto.*

offiçio de ter filhos, ou (por melhor dizer) com voto de castidade. Porque castrar se *não somente diz renunciar o uso de natureza, mas ainda o poder delle*»³⁰. At paulo inferius perpulchram addit similitudinem: «Todavia os Religiosos tem nesta conquista vantagem aos outros homens, por serem suas virtudes celebradas com os votos, os quaes são como huns nós cegos, que assegurão, e retificação, a vontade, como quem ata ho sacco que tem cheo de ouro ou prata, porque esté mais seguro na caida, ou mais difficultoso no roubo, podendo ter outro tal sacco por atar do mesmo preço, e valia, mas não taão seguro»³¹.

Iam vero color iste thomisticus minime detrahit invitam illam animi affectionem quae in augustiniano auctore expectanda profecto erat. Ad confirmationem has luminosas partes:

«No livro do mundo, em que podes ler as escuras de noyte sem candeia (que elle se tras consigo o lume olhando as estrellas, e os planetas com o movimento dos çeos, de dia o sol, e de noite a lûa: divino espectáculo!) podes considerar a multidão e grandeza das estrellas (das quaes a menor he maior que toda a terra) e das outras figuras do çeo, na fermosura, seu resplandor e craridade, em que differe hũa de outra. Oh visão divina daqueles fermosos lumes! Oh quando virá aquelle tempo em que os iremos ver?! Na primeira jornada da lûa, que he o primeiro planeta, te assentarás e descansarás vendo te no alto (e mais pera onde caminhas) e olhando pera bayxo, considerando a pouquidade da terra (como cousa insensivel em comparação daquella grandeza) e suas desventuras. Daly visitarás as casas dos outros planetas, hum por hum, fallando a todos, ate chegar ao alto resplandecente lugar do çeo estrellado, dizendo: Que será que está lá dentro, se tal he a porta de fora? Se o avesso he tal, que será o direito? Se a salla dos criados he tam rica, que será a secreta camara do Senhor, onde elle tem sua cortina e onde repousa ao meo dia, cousa que tanto desejava ver sua Es-

30. *Mystica Theologia*, fl. 23-23v.

31. fl. 25v.

posa? Finalmente posto em extase a arrebatamento dirás com David: Oh Senhor como sam maravilhosas tuas obras, tudo fizeste com muita sabiduria!»³².

Ut iam operi meo finem imponam, pauca dicam de ultimo libro a Sebastiano Toscano evulgato, qui *Commentarii in Ionam Prophetam* inscribitur et Venetiis anno 1573 typis est mandatus³³. Opus sane est, meo saltem iudicio, sententiis densissimum. Nec magis in eo accurata Sacrae Scripturae notitia elucet, quam sermo elegans ac subtilis exegesis illi ornamento sunt. Nihilominus quaedam ad ascensum propensio, qua liber in eodem ordine quo *Mystica Theologia* collocatur, perpetuo sentitur. Hoc unum exemplum praebebo quo pulchra naufragii descriptio continetur:

«Nautae videntes tempestatem, fluctuantemque navim, nunc huc, nunc illuc proiectam, ab undisque fervidis et ventis lactatam, nauticam superantem artem et ad pupim a prora, et ad proram a pupi discurrentes, alii vela colligentes, alii frustra clavum tenentes, clamoribus rauci, in nullo humano auxilio spem ponentes, ad ultimum precum subsidium confugiunt; et unusquisque ad Deum suum clamat, sublatis palmis et oculis in coelum (...).

Adhibent et alterum commune remedium, et illud quidem in naufragiis usitatissimum, prolicere merces et vasa in mare, ut levior et facilius gubernaretur navis, et ab imis sublevetur undis. Sed frustra fit omnis labor. Tempus contereabant et vasa perdebant nautae et nihil proficiebant suis precibus et laboribus in proliciendis mercibus et quidquid ponderis erat in navi. Nihil profecerunt nautae quandiu vectorem ferebant Ionam, autorem totius tempestatis.

Saepe inculpamus insontes et nocentes absolvimus.

32. fls. 138v-139v.

33. *Commentarii pii, docti et catholici in Ionam Prophetam, auctore Magistro Sebastiano Toscano, Lusitano ac theologo eximio ordinis eremitarum Divi Augustini*. Nunc primum in lucem editi. Venetiis, apud Ioannem Baptistam Somasum. MDLXXIII.

Quis cogitaret hominem pauperem, pacificum, mitem et humilem, imo et sanctum (qualem esse oportet prophetam) causam esse tanti mali? Quis crederet hominem mendicum talem excitasse tempestatem? Quis non cogitaret multitudinem mercium, tali ingruente tempestate, causam esse illius naufragii et submersionis illius navis? Neminem ergo iudicemus, neminem condemnemus ante tempus». ³⁴.

Transeamus iam ad illud temporis spatium quod est ab anno 1570 ad annum 1580. Quo tempore Fr. Sebastianus Toscanus bis (1572-74; 1578-80) Provincialis munere functus est.

De eius vitae actione brevitatis causa haec solummodo recordabor: duorum Sancti Augustini fratrum ad Minenses missionem ³⁵; Venerabilis Montoiae reliquiarum in Ulisipponensis coenobii Dominae Nostrae a Gratia sacellum translationem ³⁶; monasterii Lauletani (quod equidem Minorum claustralium proprium fuerat) in augustinianam provinciam cooptationem ³⁷;

34. fls. 21v-19 (sic).

35. «Anno 1573. O Mestre Frei Sebastião Toscano sendo Provincial mandou à Mina ao Padre frei Domingos de Santa Maria e ao Padre frei Athanasio da Cruz». Arq. Nac. T. T., *Mans. comuns*, 673, fl. 392v.

36. Translationem —quae die 21 Decembris 1573 evenit— non sua sponte sed rogatus ab Henrico, Cardinale Infante, et a Domina Helena de Lencastre, regis Ioannis II neptis, implevit. In sepulcro haec leguntur:

Mole sub hac lapidum Montoia e Bethide tellus
Lusitana tegit: si tamen ulla tegit.
Cuius ab excultu stat nullis decolor annis
Vivida religio. Non iacet ille iacens.

Cf. SANTIAGO VELA, *Ensayo...*, V, p. 590.

37. «Reverendo Padre Provincial: Recebi a vossa carta em que me dais o agradecimento de se dar a caza de Loulé à vossa Provincia, o que eu folguey muito de fazer, por me parecer que convem assim ao serviço de Nosso Senhor e tambem por ajudar vossa Ordem, como sempre folguey de fazer em tudo o que se offerecer e de mim vos cumprir.

D'Almeyrim aos 4 de Mayo, Antonio Carvalho a fez, de 1574.
O Cardeal Infante».

Arq. Nac. T. T., *Mans. comuns*, 673, fl. 266.

atque quattuor Sancti Augustini eremitarum ad Indos secundam missionem ³⁸.

Attamen non solum ea quae ut Provincialis effectit meo subiciuntur studio, sed paulo etiam longius prospicio: plenum provinciae conspectum delineo ex iis quae in pretioso Fr. Augustini ab Iesu epistularum thesauro comperi, qui Bracarum in pagi Tabulario custoditur. Hanc unam tantum epistulam transcribam qua difficilis ille provinciae transitus a longo Venerabilis Montoiae mandato ad novum juvenilium partium moderamen translucitur:

«Venerabili et nobis in Christo dilecto, Provinciali provinciae nostrae Lusitaniae Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, ubi erit.

Venerabilis Pater, salutem!

Seniorum consiliis et prudentia potiusque iuniorum et inexpertorum, republicas gubernandas esse, tu ipse optime nosti; quandoquidem minetur sapiens, uhc (*sic*) terrae cuius rex puer est, quod tunc in subditorum vergit incommodum quando puerili et iuvenili affectu principes ducti, spretis maiorum ac prudentiorum consiliis, singula perficiunt: id autem ne tibi et isti nostrae provinciae aliquando veniat, cupimus, ut seniores quoscumque reverearis (senectus, nempe, venerabilis est) eorumque consiliis quaecumque agenda sunt perficias. Ita quidem reipublicae optime consultum erit; et tu qui quanto in loco superior es, tanto in periculo maiori versaris, multis oneribus liberaberis: nec tibi soli semper ascribetur, si quandoque (quod Deus avertat) provinciam incommodum patietur, vel de tuo regimine alii conquarentur. Quod hucusque non sine causa a multis factum est, quod eo rationabilius egerunt, quia tu pontificium diploma, comitiorum generalium sanctiones, et vestri capituli confirmationem certis tantum

38. «Da segunda missão de religiosos — Em o anno de 79 mandou o muito Reverendo Padre Mestre Frei Sebastião Toscano, Provincial da nossa Provincia de Portugal, a estas partes da India, quatro religiosos...». Bibl. Nac. Lisboa, *Fundo Geral*, ms. 745, Res., fls. 8v-9.

patribus obscuro quodam loco et tanquam in solitudine quadam congregatis ostenderis, non autem singulis nota feceris, sicut nos ipsi sperabamus, et tu ipse debueras, ut singulis innotescerent, et alacrius servarentur. Quod cum inconsiderato factum credamus, cupimus ut aliis nota facias, et ad ea servanda compellas, seniores reverearis, cunctosque tibi gratissimos efficias, nullum spernas, sed cunctos uti fratres ac filios et patres pertractes, nec te existimes potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Bene in Domino vale!

Datum Mediolani, 4 Septembris MDLXXI.

Frater Tadeus, Generalis indignus»³⁹.

39. Arq. Dist. Braga, *Gaveta das Cartas*. Provincialis Lusitaniae de cuius iniuria in hac epistula conqueritur Frater Augustinus ab Iesu est. Biennio 1570-1572 durante, officium exercuit.

Fratris Augustini ab Iesu documentorum, quae in *Gaveta das Cartas* asservantur et hic meo subiciuntur studio, en elenchus:

- 1.—Litterae Fratris Ludovici de Montoia ad correctorem Tavirensem. Ulisippone, 17-V-1560.
- 2.—Litterae Fratris Sebastiani Toscani et Fratris Antonii de Passione, Definitorum, post capitulum in civitate vulgo «Vila Viçosa» anno 1570 congregatum, ad Priorem Generalem.
- 3.—Litterae Thaddaei Perusini, Prioris Generalis, ad Fratrem Augustinum ab Iesu, Provinciale Lusitaniae. Romae, 26-XI-1570.
- 4.—Idem. Romae, 14-I-1571.
- 5.—Idem. Romae, 1-VII-1571.
- 6.—Idem, ad Provinciale et Definitores. Papiae, 31-VIII-1571.
- 7.—Litterae Fratris Augustini ab Iesu ad Priorem Generalem. Santarém, 1571.
- 8.—Litterae Thaddaei Perusini ad Fratrem Augustinum ab Iesu (quae supra in textu). Mediolani, 4-IX-1571.
9. Catalogus fratrum qui, ut ad Indos mitterentur, anno 1571 in congregatione Penafirmensi electi sunt.
- 10.—Litterae Fratris Simonis ab Iesu ad Fratrem Augustinum ab Iesu. Goa, 8-XI-1572.
- 11.—Litterae Prioris Generalis Thaddaei Perusini quibus provinciae Lusitaniae canonicam visitationem aperit. Ulisippone, 14-VI-1573.
- 12.—Litterae Thaddaei Perusini ad fratres conventus Ulisipponensis. Conimbrigae, 16-VII-1573.
- 13.—Idem, ad Priorem eiusdem conventus. Compostellae, 25-VII-1573.
- 14.—Idem. Idem.
- 15.—Idem. Methimnae, 5-IX-1573.

Praeter haec omnia, ad eremiticae propensionis studium in provincia lusitana prima in hoc capite ponuntur fundamenta, nec pauca non adiciuntur super «deserto» Penafirmensi, quo Sebastianus Toscanus falsis iam mundi opinionibus liberatus sub illud tempus se recepit.

In calce autem theseos de Fr. Sebastiani Toscani morte agitur, deque provinciae vita cum in metropoli tum etiam in transmarinis regionibus, illa decade 1580, quae ultima eius vita fuit.

Quoad provinciae statum hac aetate, eum illustrare valui ope Fr. Augustini ab Iesu supra dicti epistularum thesauri; ac etiam ope actorum capitularium, quae (item inedita) in Tabulario Universitatis Conimbrigensis iacebant ac nunc primum in lucem proferuntur ⁴⁰.

Mors autem Sebastiani Toscani occurrise ferebatur (idque miro consensu omnes ad unum biographi asserebant) anno 1580.

16.—Idem, ad Priorem et Patres deputatos eiusdem conventus. Matriti, 14-IX-1573.

17.—Idem, ad Priorem tantum. Matriti, 17-IX-1573.

18.—Idem. Toleti, 28-IX-1573.

19.—Idem. Castro Garzmino, 15-X-1573.

Ut patet, non omnia haec scripta a Fratre Augustino ab Iesu subsignata aut ad eum missa sunt. Attamen penes eum, ut mihi videtur, erant (ab annis forsan eius provincialatus) et cum eo, dum Archiepiscopus Primas creatur, in Bracaram fortasse commigrarunt. Anno autem 1834, extremis rei publicae temporibus, confiscata ac in civile aerarium redacta sunt.

40. A) Arq. Dist. Braga, *Gavetas das Cartas* :

1.—Litterae Fratris Urbani a Transfiguratione ad Fratrem Dionisium ab Iesu, Vicarium Provinciale. Lauleti, 30-XII-1583.

2.—Litterae Fratris Petri a Sancta Maria ad Fratrem Augustinum ab Iesu, in provincia lusitana Vicarium Generalem. Ormuz, 25-VII-1585.

3.—Litterae Fratris Spiritus Vincentini ad Fratrem Augustinum ab Iesu, in provincia lusitana Vicarium Generalem. Romae, 19-X-1585.

4.—Idem. Romae, 30-XII-1585.

5.—Litterae Fratris Augustini, Sacrista Summi Pontificis, ad Fratrem Augustinum ab Iesu, in provincia lusitana Vicarium Generalem. Romae, 25-III-1586.

6.—Litterae Fratris Ludovici de Paradiso. Goa?, 2-IV-1587.

7.—Litterae Sacristae Summi Pontificis. Romae, 11-VII-1587.

B) Arq. Univ. Coimbra, *Colégio da Graça*, m. 1, n. 6.

Verum enimvero tempus ab illis statutum rerum scriptoribus ex falso est conflatum, siquidem in coenobio Olisipponensi adhuc vitam degebat annis 1581, 1582 et primis mensibus anni 1583, ut ex libris scripturarum eiusdem asceterii, de quibus iam egi, constat ⁴¹. Ac tum solummodo vivere desiit, ut litterae congruunt quae die 20 Iunii eius anni Roma missae sunt, ubi Generalis Spiritus Vincentinus de tanti illius viri decessu provinciae lusitanae condolet ⁴².

Animadvertas tamen oportet hanc temporis correctionem non de puro putoque facto ad vitam attinenti esse; praeterea nihil. E contra, multo prospicit longius, habetque implicationes non paucas, quas tamen in praesentiarum prae spatii angustiis exponere nequeo.

41. Arq. Nac. T. T., L° 2, fl. 64v (10-V-1581); L° 2, fl. 66v (28-VI-1582); L° 3, fl. 449 (12-IX-1582); L° 3, fl. 442 (11-XI-1582); L° 3, fl. 446 (25-II-1583).

42. «Haviamo inteso con molto dispiacer' la morte del Padre Maestro Toscano e sappiamo quanto habbia perso per la morte di questo padre cotesta Provintia, e tutta la Religione insieme. Ma ci rallegriamo bene, che abbia fatto una morte cosi santa, com' anco era sempre vissuto. Piaccia' l Signore di riceverlo in Cielo; et a noi di darci gratia di ben servirlo...». Arq. Dist. Braga, *Gaveta das Cartas*.